



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentarii Tres in Universam Aristotelis Philosophiam

Crespin, François

Brvxellæ, 1652

III. An Accidens sit 5^{um} prædicabile, sumptum in concreto, an in bastracto.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95346](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95346)

DCCLXXVI. Secunda: Accidens est, quod eidem inesse potest, & non inesse, puta modo statim dicto.

DCCLXXVII. Tertia: Accidens est, Quod neque Genus est, neque Species, neque Differentia, neque Proprium, ut in re subiecta semper inhaeret, puta inhaerentia latè sumptà, quā aliquid est contingens, & non essentialiter aut Proprium.

DCCLXXVIII. Præterea dividit Porphyrius Accidens in separabile & inseparabile; hoc est, quod difficulter, & plerumque non nisi supernaturaliter, à subiecto, sine illius corruptione, separari potest, ut calor ab igne: illud verò quod facile, ut calor ab aqua: sed hæc divisio non est Accidentis Logici supra definiti, nam omne Accidens Logicum facile potest per mentem à subiecto separari; bene Physici, quod subiecto realiter inhaeret, & à subiecto realiter separari potest.

DVBIVM II.

Quid sit Accidens s^{um} prædicabile, & quid materiale ejus significatum.

DCCLXXIX. **A**ntè Resolutionem Suppono 1^o, in Accidente Logico supra definito posse tria spectari. 1^{um} est entitas ipsius. 2^{um} ordo seu relatio contingentie ipsius ad subiectum. 3^{um} ejus Universalitas.

DCCLXXX. Suppono 2^o, formale significatum Accidentis 3ⁱ prædicabilis esse accidentaleitatem, sive 1^{am} intentionem formalem accidentis dantem ut quo, posse prædicari ut quod, modo statim dicendo, pro quo sit

RESOLUTIO I.

DCCLXXXI. **D**ico 1^o, Accidens, ut est s^{um} prædicabile, est unum, &c. aptum prædicari de multis purè in quale contingenter. Per ly contingenter, excludit Proprium, & cætera prædicabilia; includit verò, tam Accidens Physicum, quam Logicum contingens.

DCCLXXXII. Obijciens tamen, Universale est prædicabile de multis essentialiter, ergò male definitur Accidens, prædicabile unum, &c. Aptum prædicari de multis accidentaliter, sive purè in quale contingenter, probatur, quia Accidens s^{um} prædicabile est s^{um} Universale; Universale verò est aptum prædicari de multis essentialiter.

DCCLXXXIII. Resp. 1^o retorquendo argumentum in Proprium, in quo non pugnat, esse prædicabile essentialiter, & tamen purè in quale, sive accidentaliter, ergò nec pugnat in Accidente, esse prædicabile essentialiter & contingenter.

DCCLXXXIV. Respondeo 2^o distinguendo antecedens: Universale est prædicabile de multis essentialiter, ut quodlibet tale Universale, nego antecedens; ut Genus, Species & Differentia, concedo antecedens: licet enim animal ut animal sit sensitivum essentialiter, non est tamen sensitivum essentialiter ut tale animal v.g. ut rationale vel irrationale; quia talitas illa, nec includit, nec includitur in animali; sed illi accidit pro ratione compositi Metaphysici, ad quod contrahit animal: sic similiter, licet Universale ut Universale, sit prædicabile de multis essentialiter, non est tamen prædicabile de multis essentialiter ut tale Universale, nisi talitas

id ex ratione Propria (ut contingit in tribus 1^{is} prædicabilibus) habeat; nam illa talitas est omnino extrà conceptum formalem Universalis in Genere, & sumitur ex modo, quo se habet natura Universalis ad essentialitatem Universalium individuum, de quibus apta est prædicari, ut ostensum est Disp. 3. Dub. 2^o. pro tribus primis Universalibus; vel ad subiecta, quæ afficiunt, pro Proprio & Accidente.

RESOLUTIO II.

DCCLXXXV. **D**ico 2^o: materiale significatum 5ⁱ prædicabilis est omne prædicatum dicens contingentem ordinem ad subiectum; sive sit Accidens Physicum, sumptum pro omni eo, quod est in subiecto inhaerentis, & oppositum substantiæ, ut albedo; sive sit Logicum contingens, de quo supra.

DCCLXXXVI. Probatur: tum quia particulas has, adest vel abest, inest vel non inest; explanans Porphyrius, dicit eas accipiendas non esse de inhaerentia vel absentia propriè dicta, quæ convenit Accidenti strictè sumpto & Physico; sed de connexionione vel absentia contingentem in communi, & indifferentem ad realem & propriè dictam, rationis & impropiè dictam: tum quia prædicabilia diversificantur ex diversitate modi, quo se habet natura Universalis ad essentialitatem Universalium Individuorum, de quibus apta est prædicari, ut diximus, nullā habita ratione entis secundum se.

DVBIVM III.

An accidens sit s^{um} prædicabile sumptum in concreto, an in abstracto.

DCCLXXXVII. **A**ntè Resolutionem Suppono, dubium procedere de definito quod & accidentali sive materiali in definitione Accidentis, ut v.g. de calido, relativo, &c. an ut calidum, relativum, &c. an ut calor, relatio, &c. sit s^{um} prædicabile. Hoc supposito, sit

RESOLUTIO I.

DCCLXXXVIII. **D**ico 1^o: Accidens ut sic sumptum, non potest esse prædicabile in concreto.

DCCLXXXIX. Probatur, quia in concreto non est aptum prædicari de multis purè in quale contingenter; sed s^{um} prædicabile debet esse tale, ergò, &c. Probatur major, quia in concreto omnia prædicantur ut eadem, nihil ut Accidens aut contingens, ergò, &c. Assumptum patet ex præmissis, Disp. 3^a 4^a & 5^a.

DCCLXXX. Confirmatur, album v.g. in concreto importat ea omnia confusè, de quibus aptum est affirmari; sed illa non sunt apta affirmari de seipsis accidentaliter contingenter, ergò, &c. Pro Solutione objectionum vide Disp. 3. Dub. 2.

RESOLUTIO II.

DCCLXXXI. **D**ico 2^o: Accidens ut sic sumptum, est s^{um} prædicabile in abstracto. Est contra Suarez, Conimbricenses, &c. DCCLXXXII. Probatur, Album v.g. aliquo sensu est

est 5^{um} predicabile; non in concreto ut Resol. 1^a. vidimus, & alioqui, ut sæpius dictum est, omnia predicabilia essent eodem modo predicabilia, scilicet ut æquale de æquali, ergo in abstracto.

DCCLXXXIII. Confirmatur: Albedo v. g. est unum aptum, &c. affirmari de hoc & hoc pariete purè in quale contingenter, ergo est 5^{um}. predicabile in abstracto. Consequentia tenet à definitione, maior patebit Solutione objectionum.

DCCLXXXIV. Objicies: album est Vniversale eo sensu, quo abstrahitur ab eis, de quibus aptum est predicari purè in quale contingenter, sed abstrahitur in concreto, ergo, &c.

DCCLXXXV. Respondeo negando minorem; nam cum in concreto dicat ea, de quibus aptum est predicari purè in quale contingenter, si in concreto sive secundum quod dicit in recto & in obliquo abstraheretur; in abstracto, sive secundum obliquum, non minùs diceret, quàm in concreto, sive quàm rectum & obliquum, quod intelligi non potest; abstrahitur ergo in abstracto, sive secundum id præcisè, quod dicit in obliquo, ab hac & hac albedine, & hoc & hoc subiecto, quibus inharet, sive abstrahitur albedo ab hac & hac albedine, ut in-existentibus huic & illi subiecto, de quibus subiectis apta est predicari purè in quale contingenter; & non de hac & hac albedine; sed in quid ut tota essetia, ut patet.

DCCLXXXVI. Instabis: hæ prædicationes, hic paries est albus, iste paries est albus, sunt contingentes & 5ⁱ predicabilis, ergo 5^{um} predicabile est tale in concreto.

DCCLXXXVII. Resp. distinguendo antecedens pro 1^a parte: hæ prædicationes, &c. sunt contingentes, si ly albus spectetur secundum quod dicit in recto, & prout in propositione, nego antecedens; quia, ut sic, sunt identicæ & æqualis de æquali: si spectetur, secundum quod ly albus dicit in obliquo, & ut extrà propositionem, concedo antecedens; sed, ut sic, est abstractum albedo, quæ facit prædicatum albus contingens, utpotè forma suo subiecto contingens. Hinc autem patet ad 2^{am} partem. Hic tamen alio etià modo sic responderi potest: hæ prædicationes sunt contingentes, si prædicatum & subiectum sumantur, secundum quod substantiificationi, nego antecedens, quia secundum recta dumtaxat verificantur: si secundum quod substanti suppositioni inadæquatæ pro obliquis, ex parte quorum, sunt formaliter contingentes, concedo antecedens; sed ex parte illorum numquam sunt veræ; nec subiectum aut prædicatum ex parte illorum umquam verè subicitur aut prædicatur; & respectu illorum præcisè, sunt 5ⁱ predicabilis.

D V B I V M I V.

An, ut Accident sit 5^{um} predicabile, debeat actu esse in multis subiectis de facto existentibus.

DCCLXXXVIII. **A**ntè Resolutionem Suppono, dubium procedere de accidente 1^o intentionaliter & materialiter sumpto pro denominatis, albedine v. g. an debeat actu esse in hoc & hoc subiecto, de facto existentibus, ut sit 5^{um} predicabile,

R E S O L U T I O.

DCCLXXXIX. **D**ico, ut Accident sit 5^{um} predicabile; non debet actu esse in multis subiectis de facto existentibus.

DCCC. Probatur, quia ut sit 5^{um} predicabile, sufficit, si sit aptum predicari de multis contingenter; atqui Accident est tale, etsi nullum subiectum, imò etiam si nullum Accident de facto existat, ergo, &c. Probatur minor, quia ad hoc sufficit, illud esse abstractum, modo Dub. 3^o dicto, à multis subiectis possibilibus, ergo, &c.

DCCCI. Confirmatur. 5^{um} predicabile, ut est Vniversale in representando, non requirit existentiam sui subiecti, quod extrinsecè denominat, ut patebit ex dubio sequenti: nam possum optimè concipere albedinem, non conceptà hæc & hac albedine, ut existente in hoc & illo subiecto, ergo & ipsum Accident est 5^{um} predicabile, licet actu non sit in multis subiectis de facto existentibus. Probatur consequentia, quia ad hoc sufficit albedinem concipi, modo dicto.

DCCCI. Objicies 1^o. Accident (ut dicitur dubio sequenti) non verè prædicatur de multis ut 5^{um} predicabile, nisi de facto insit multis, ergo non est 5^{um} predicabile, nisi actu sit in multis de facto existentibus.

DCCCII. Respondeo 1^o retorquendo argumentum, ut sæpè suprà. Petrus non videt, nisi adsit lux, aer non illuminatur à 2^o sole, nisi adsit 2^{us} sol, ergo Petrus non est ex parte sua in tenebris completè visivus, aer ex parte sua completè illuminabilis à 2^o sole, illo absente. Negabis procul dubio consequentiam: quia hæc non se tenent ex parte potentia, sed ex parte actus: & meritò, quia alioqui æternum (videlicet Petrus est visivus, aer est illuminabilis à 2^o sole) dependeret à temporaneo, scilicet existentia lucis, & 2ⁱ solis; & Proprium ab Accidente strictissimè; quæ sunt absurda. Quare in forma

DCCCIV. Respondeo 2^o negando consequentiam: nam licet non prædicetur, nisi insit multis de facto existentibus, aptum est tamen predicari de illis, quod ad 5^{um} predicabile sufficit; nam minùs ad esse 5^{um} predicabile requiritur, quàm ad actu prædicari modo 5ⁱ predicabilis; sicut minùs requiritur ad esse visivum & illuminabile, quàm ad videre & illuminari actu, ut patet.

DCCCV. Objicies 2^o ex Conimbr. Cap. 5^o. de Accid. Albedo, ut est apta inesse multis corporibus, non est 5^{um} predicabile; ergo ut sit 5^{um} predicabile, debet actu esse in illis. Probatur antecedens, quia aptitudo, quæ illis inexistere potest, non est accidentalis & contingens, sed essentialis utpotè aptitudinalis inherencia, in qua essentia Accidentis constitui solet, ergo, &c.

DCCCVI. Respondeo, distinguendo antecedens albedo ut est apta 1^o intentionaliter & Physicè inesse uni corpori, non est 5^{um} predicabile, concedo antecedens: ut est apta 2^o intentionaliter, & ratione 1^æ intentionis formalis accidentificantis, inesse multis corporibus, nego antecedens: nam hæc aptitudo est illi omninò accidentalis & contingens, & quidem ad inessendum multis corporibus accidentaliter & contingenter, in quantum potest de illis, quibus inesse apta est, per mentem negari.

DVBIVM